# IANI PELVSII
## CROTONIATAE
## HYMNORVM
LIBRI DVO

AD CLEMENTEM VIII
*Pontificem Opt. Max.*

Ex libris Mon. S. Pudentianae de urbe

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBL. S. PVDEN. DE VRBE



*Parmæ Typis Eraſmi Viothi*, M. D. C II.
Permiſſu Superiorum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

## Ad candidum Lectorem.

*Amice Lector hymnos*
*Peluſij poëtæ*
*Qui lectitas, putato*
*Non hos venire ab vndis,*
*Quas filius Meduſæ*
*Olim vngula profudit:*
*Alto ſed à Latymno*
*In quo Crotoniatæ*
*Muſas nouem citabant*
*Ad Orphei cicutas,*
*A Phaſidis fluento*
*Ad vſque amœna Tempe*
*Queîs vexit Argonautas*
*Pellem auream ferentes.*
*Non tu Catullianos*
*Habebis hic lepores,*
*Nec plectra Horatiana,*
*Nec Pindari canorem,*
*Aut mel Anacreontis,*
*Sapphuſue cantiones:*
*Peluſij ſed odas,*
*Non Atthidas olentes*
*Maronis, aut Homeri:*
*Sed proprios odores:*
*Quos muneri dat illi,*
*In ſede Vaticana.*
*Qui res gerit, vicemq;*
*Chriſti omnium ſatoris:*
*Cunctiſq; ſemper idem,*
*Ius dat ſuum cuique:*
*Ac flamines Diales*
*Explorat æqua amuſſi:*
*Quot nouit imperitos,*
*Nec vtiles popello,*
*Eccleſiæq; matri,*
*Expungit, atque ſubdit*
*Illis peritiores:*
*Qui ſanctitate vitæ,*

Et

*Et moribus probatis,*
*Scientiaq́, ſicut*
*Sol ſplendeant in orbe.*
*Eius ſedile fulcit*
*Suada mellilinguis,*
*Et puritas, fidesq́,*
*Coniuncta cum pudore,*
*Sceptrisq́, quæ ſueuit*
*Manu tenere, iuſta*
*Aſtræa virgo in omneis.*

## AD CLEMENTEM VIII.
## Pontificem Opt. Max.

*Monarcha mundi Maxime Pontifex*
*Petri beato qui in ſolio ſedens,*
*Vtroque ſub polo iacenteis*
*Chriſtigenas moderaris æquis*
*Iuſſis, & idem per bene conſulens*
*Paci, luporum paſtor ab impetu*
*Defendis agnos, & ſalubri*
*Pabulo alis, vigilante ocello,*
*In Vaticana ſede repoſita*
*Negotiorum mole, precor meos*
*Sumas vt hymnos fronte lęta,*
*Atque legas ſtomacho libenti:*
*Non ſunt vt illi, numine quos Dei*
*Vates repleti, Cęlicolum patri*
*Per arua. & vrbeis perſonantes,*
*Dulciſonis cecinere chordis.*
*Has noſtra Clio non valet aſſequi*
*Sublimitates: debilibus modis*
*Te laudat: audi quæſo noſtræ*
*Sancte Pater citharæ canorem.*
*Geſtare ſi te Pierijs equis,*
*Ala aut cycnea non potero, ut volo,*
*Qua ſurgit, occiditq́, Titan,*
*Dans populis, adimensq́, lucem:*

*Dicam Camænis parua ſonantibus,*
*Quas non Gelonus ſentiat vltimus,*
*Aut Bactra: ſed potor Neæthi,*
*Crathidis, & Sybaris colonus.*
*His forſan odis Sequana, vel Padus,*
*Vel tauriformis perſtrepet Aufidus,*
*Vel Tibris, Vrbem qui quieta*
*Mordet aqua ſinuoſus amnis.*
*Natura paruas mi dedit ingeni*
*Vires: & orbis dicere Principem*
*Me Delius vetat: canendo*
*Ne minuam Egregios honores.*

# CLEMENTI OCTAVO Pontifici Opt. Max.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

## *Ianus Peluſius Crotoniata felicitatem.*

POTVISSEM Beatiſſime Pater ad Sanctitatem tuam mittere parodias in Odas, & Epodos Horatij Flacci, ſuperioribus diebus à me Romę compoſitas: potuiſſem eidē dono dare nonnulla epigrāmata Gręcorum authorum: quæ non ſine ſumma contentione, aſſiduo ſtudio, & improbo labore Latinitate donaui. Sed hæc munuſcula non mihi videbantur eſſe tui ſtomachi, nec tanto Pontifici conuenire. Qui à rebus profanis alienus, nihil aliud quam ſanctitatem ſpirat, & noctes & dies toto animo, & ſtudio omni incumbit in hanc curam: vt ſacerdotes huius ætatis non ad ſeuerani Ariſtarchi ſtateram pendat, ſed quadam recta, iuſta, & moderata trutina examinet, vt imperitis (quorum vbique magna eſt copia) tanquam tanta prouincia indignis ſubmotis, non modo rebus ſacris, & diuinis miniſterijs interdicat: ſed etiam eoſdem ſacerdotij fructibus, & cenſibus tandiu priuet, quandiu alijs precepto ribus ſe recoquendos dati, peritiores fiant, atque huiuſmodi ferendo oneri apti, & idonei eſſe exiſtimentur. Quod opus ipſe vſque adeo laudo, & admiror, vt ſine vlla controuerſia, & bonitate cauſæ, & vtilitatis vbertate, audeam præponere omnibus operibus, quæ à Pontificatu Diui Petri ad noſtra hæc vſq; tēpora multi Max. & Opt. Pontifices egregia cum laude, & ſanctorum virorum applauſu fecere. Quid enim Deus bone, hoc examine iuſtius? quid honeſtius? quid laudabilius, & glorioſius aut dici, aut inueniri poteſt? Creſcet poſthac mihi crede, creſcet in Eccleſia DEI litteratorum virorum

numerus. Quippe omnes quum certo ſcierint, propoſitá eſſe prẹmia virtutibus, ſtudiorumq; labores honoribus, & ſplendore decoratum iri, ſacris litteris multo diligentius quam antea operam dabunt: atque obnixe enitentur, nè longo interuallo in hoc præclariſſimo laudis, & vtilitatis ſtadio ab alijs relinquantur: poſtremiq; non ſine ſpectatorum riſu, ac potius ſibilis, & conuiciò ad metam veniant. Multi quoq; (niſi fallor) ex Lutherianis quum viderint Summum Pontificem bona Eccleſię viris bonis moribus, & litteris præditis largiri, anteactæ vitæ palinodiam canent, & ad ſacroſanctam ſedē Apoſtolicam, vnde prius temere diſceſſerant, nimium pie, & feſtinanter reuertentur. Quod ſi fiet: nos, & poſteri noſtri hęc oīa tibi accepta referemus, & non æque ac ſanctiſſimum numen venerabimur in terris. Qui primus omnium (quod in ſumma laude ponendum puto,) huius examinis ſaluberrimi author, & inſtitutor fuiſti: primusq; omnium, poſt hominum memoriam inuētus, qui cornicum oculos (vt dicitur) confixeris. Quis vnq̄ niſi iniquus, & peruerſus iudex æquum eſſe cenſeat, vt Epiſcopo rerum ſacrarum imperito, & nihil quod ad ſui gregis ſalutem pertineat, ſciēti, Chriſti oues cōmittantur? quas neq; pabulo ſcientiæ paſcere, nec à luporum impetu, & inſidijs tueri, & defendere poterit. Huc accedit: quod quum aliqua (vt ſolet) inter ſuum populum ſuboritur de aliqua re cōtrouerſia, & ipſe per ſe propter inſcitiam, & iuris ignorationem eam dirimere non poteſt: neceſſe eſt, alieno ſtet iudicio: quod ſi malitia, & iniquitate iudicis diſtortum, & prauum fuerit: multi immerito cauſa cadent, & nō ſine magno rei familiaris dāno, incommodo, & detrimento ad litis æſtimationē condemnabuntur. Perge obſecro Beatiſſime Pater hęc incępta populo Chriſtiano tàm vtilia, & neceſſaria ad optatum finem perducere, & ſuſceptum examinis munus feliciter explere. Nam præterq̄ tuis laboribus S. R. & Catholicæ Eccleſiæ dignitas, ſalusq; parietur: ipſe paſſim à bonis, & doctis viris ſummis laudibus in cęlum fereris. Quæ.n. tàm immemor poſteritas? quæ tàm ingratæ litteræ reperientur? quę huius rei memoriam non immor-

talitatis

talitatis memoria proſequantur? Si cæteri qui non ſine Dei omnipotentis numine futuri ſunt Max. Pontifices, tua veſtigia ſequi voluerint: Chriſti Eccleſia paucis abhinc annis ſacerdotes doctos, probos, & eruditos vbiq; gentium habebit; & populi qui ſub eorum ſunt diœceſi, & ditione, inſtituentur, atque erudientur ad ſanctorum Apoſtolorum inſtituta: ſemper peruenient ad frugem: & à uia Domini non aberrabunt. Quum igitur hæc cum animo meo volutarem, non alienum à propoſito eſſe iudicaui: ſi meos hymnos tuo ſanctiſſimo nomini nuncuparem. Ad id currentem (vt aiunt) me incitauit diſcipulus meus ODOARDVS FARNESIVS, Princeps Sereniſs. & S.R.E. Cardinalis Ampliſſimus. Qualeſcunq; ſunt, (quę tua eſt humanitas) lęta fronte accipe, & ſi meritis Beatitudinis tuę non reſpondent: rei pretium animo pēſabis. Nam ſi quis aliquid ſanctitate tua dignum ſcribere voluerit: illud ex Ciceronis, aut Vergilij officina ſumat oportet. Si minima quauis ſignificatione tibi gratos fuiſſe ſenſero; componendis ſanctorum virorum hymnis me nauiter accingam: & Sanctitati tuæ vt par eſt, humiliter conſecrabo. Te Deus Opt. Max. fortunet. & quod Chriſtianæ Reipub. bonum, fauſtumq; ſit, diu ſeruet incolumem. Vale. Parmæ. ex ædibus Farneſianis nonis Auguſti. Anno ſalutis humanæ 1592.

## AD CLEMENTEM OCTAVVM
### Pontif. Opt. Max.

*Implorent alij vates ad carmina Phœbum;*
*Atque Hippocrenes labra liquore rigent:*
*Tu mihi tu* CLEMENS *vires, animumq; miniſtra,*
*Materiamq; meis ſuggere carminibus.*
*Non ego bella cano Troiæ, nec fulmen Amoris,*
*Quo iuuenes Cypris ſauciat, atque nurus:*
*Deiparam celebro genitam ſine labe Mariam,*
*Quæ fuit & Chriſti filia, ſponſa, parens.*
*Canto etiam Chriſtum paſſum per vulnera mortem*
*Pro genere humano ſtipite in arboreo:*
*Talia ſi non ſunt mea carmina: qualia* CLEMENS
*Debent eſſe: meum ſuſcipe quæſo animum.*

# AD CLEMENTEM OCTAVVM
## Pontificem Opt. Max.

*Aetate noſtra Maxime Pontifex*
*Ni natus eſſes, Mehercule funditus*
*Intercidiſſent res virorum,*
*Quot Latios habitant penates:*
*Sic ſæuiebant rura per omnia*
*Orti nefandis patribus exules,*
*In tecta ferrum, matris ignem*
*In Cereris ſegetem ferentes.*
*Sicariorum turba rebellium*
*His ſe Typhœis iunxerat, & viri,*
*Lauerna quot gaudens tenebris,*
*In ſcelera exitioſa trudit:*
*Auſi Latinis excidium vrbibus,*
*Et comminari vincla Quiritibus,*
*Epiſcopos necare, & atris*
*Templa Deûm ſcelerare flammis.*
*Sic & Gigantes Cœlicolûm patri*
*Mouere bellum, cominus, & manu*
*Vt frangerent domos Olympi,*
*Montibus impoſuere montes.*
*Iſthæc ſed illis res ſecus accidit:*
*Aduerſus hoſteis namque gerentibus*
*Dis arma: dextera rubente*
*Ad Stygias tenebras adegit*
*Qui cuncta Chriſtus numine temperat.*
*Supreme Princeps haud aliter tua*
*Hos ſuſtuliſti vi Procruſtes:*
*Exitio eripiens colonos,*
*Et tuta reddens ciuibus oppida.*
*Partim prehenſi Carnificis manus*
*Senſere: partim cęſi: in aruis*
*Vulturibus iacuere pręda.*
*Iacta hæc futuri Max. & Opt.*
*Non abſque Diuûm numine Præſules,*
*Si perſequi volent: carebit*
*Auſonis illuuie Latronum.*

Sic ſpero fiet. namq́; Vicarij
Chriſti, hæc obibunt munia fortiter:
Omneis & inſanos tumultus
Martis, ab Oenotria fugabunt.
Si liberares turbine Galliam
Regis, ſceleſtam qui ſapit hæreſim
Vgonis: & Lutherianos
Protegit auxilijs Eliſæ,
Atque in fideles ſęuior in dies
Surgens, atroci grandine deſtruit
Vrbeis, & agros, lęta gentis
Otia Galligenæ inquietans.
Paſſim videres cuncta per oppida
Signata ſcalpris marmora publicis,
Tibi erigi in cauis theatris,
Temporibus peritura nullis.
Fames Gelonos viſere geſtiens,
Cum peſte noſtris e regionibus
Seceſſit: horreiq́; cellas
Frugibus agricolæ replerunt.
Nunc glorioſo examine flamines
Perpendis omneis: an bene nouerint
Secernere a ſacris profana,
Aera vel a madidis lupinis.
Quot ipſe certo iudicio, parum
Rebus ſacrorum noſcis idoneos,
Vt noxios rudi popello,
Eijcis e domibus Deorum,
Prudentiores ſubſtituens viros:
Qui ſancta Chriſti dogmata calleant,
Suos & agnos vſque paſcant
Gramine per ſyluas ſalubri.
Vt falce ramos truncat inutiles,
Feraciores ſector vt inſerat:
Ineruditos ſic miniſtros
Ipſe domo á Superûm repellis,
Vt doctiores non ſine gloria
Illis reponas: Barbariem amputans,
Regnare fana per ſacrata

Non

*Non ſinis inſciti.e magiſtros.*
*Deliberandum ſi graui, & ardua*
*De re: imperiti quo poterunt modo*
*Gryphos, & ambages iniquas*
*Ingenio reſecare craſſo?*
*Ad ſcitiores tunc opus eſt, eant,*
*Et quicquid illis ſuggeret ingeni*
*Vis, exequendum: quod probroſa*
*Sępe fuit Dominis ruina:*
*Hi quippe tales ſi male conſulunt,*
*Quod ſæpe multis contigit: admodum*
*Res turbulentas machinantur,*
*Atque Chaos reuocant vetuſtum.*
*Sacras per ædes progenies noua*
*Ibit, niuali mundicie nitens,*
*Hos tute flaminum noualeis*
*Sic premis aſſiduus ligone.*
*Non rura poſthac carduus, aut ſilex*
*Noſtra occupabit, vel rubus hiſpidus:*
*Nec lappa ſurget, cariceſq́,*
*Aſſuetæ ſegetem necare.*
*Virtute Diuûm macte potentium,*
*Si tu ire perges quo pede cæperis:*
*Certe omnis Auerruncum acerbæ*
*Te inſcitiæ indigetabit ætas.*
*Si Muſa, Flacci non renuet tuo*
*Crotoniatæ tendere barbiton,*
*Vel te Deorum cętibus inſeret:*
*Vel canet Aonio ſub antro.*

# IANI PELVSII
## *Crotoniatæ hymnorum Liber Primus.*

## AD CLEMENTEM VIII. Pontificem Opt. Max.

### AD IESVM CHRISTVM DEVM, ET Dominum noſtrum.

*PATRIS poteſtas ſumma, ſumma gloria,*
*Amorq́; ſummus, optime*
*Regens Ieſu cuncta trino numine,*
*Quæ Sole ſunt ſub aureo,*
*Tibi hoc poëma conſecratum ſuſcipe*
*Manu (vt ſoles) pijſſima:*
*Et me morantem Mortis hac in flebili*
*Valle, adiuua ſeruum tuum.*
*Stupenda res, myſterium mirabile,*
*Nullis tacendum vatibus:*
*Quem non micantis alta cæli regia*
*Capit, nec vnda Nerei,*
*Nec vaſta tellus, nigra nec Ditis domus,*
*Nec ætheris tractus: capit*
*Maria virgo: ventre nec læſo Deum,*
*Hominemq́; te parit ſimul.*
*Quid huic puellæ par vigere Cælites*
*Videtis alto in æthere?*
*Soli ſed illa conditori maximo,*
*Atque optimo cedit Deo.*
*Benigne Chriſte pro ſalute gentium*
*Deſcendis ad terram e polo,*
*Atque hic tot amplis editis miraculis,*
*Aegrisq́; ſanis redditis,*
*Non abſque falſo teſte, falſo & crimine,*

*Morti*

*Morti a Pilato traditus,*
*Conſcendis aram ſponte duri ſtipitis,*
*Atque immolatus: ſanguinem*
*Fundis ſacerdos idem, & idem victima,*
*Homo idem, & idem tu Deus,*
*Licetq́; captum Mors haberet in manu,*
*Tenere non potuit tamen,*
*Quin tertia die reſumpto corpore,*
*Reſurgeres à mortuis.*
*Sic expiatis ſeculis: ſic Dæmone*
*Victo: & ſubacto Tartaro:*
*Ferum Draconem præda adempta e faucibus,*
*Ligas catenis igneis,*
*Ferensq́; tecum ſpolia opima, denuo*
*Ad aſtra victor deuolas.*
*Stipatus hic Heroibus cæleſtibus,*
*Ad dexteram ſedes Patris:*
*Tuoq́; iure cum parente compare,*
*Et Spiritu ſanctiſſimo,*
*Quæ ſunt in aſtris, quæque ſunt in æquore,*
*Et toto in orbe temperas.*
*Hinc ter quaterq́; quæſo ſupplex, reſpice*
*Tuum fidelem ſeruulum:*
*Cor ſcinde: noſtra e mente pelle nubila:*
*Maliq́; tolle ſemina:*
*Non valeo tot moleſtijs emergere*
*Orbatus auxilio tuo.*
*Benigne Ieſu me pietate pro tua,*
*Tuoq́; ſancto numine,*
*Ab imminente libera periculo*
*Damnationis perpetis;*
*Tibi ore mundo, corde mundo millies*
*Pſalmos, & hymnos concinam:*
*Viamq́; rectam cautius terens, meum*
*Stratum rigabo lacrymis:*
*Totus beatæ Ternioni deditus,*
*Calebo ſpe cæleſtium:*
*Orbisq́; ut hoſpes dona ſecularia*
*Fluxa, & caduca negligam.*

In

In diem Annunciationis Beatæ Virginis.

*Quum noſtra mater Eua*
*Peccat, Draconis aſtu*
*Decepta: editq́, Adamus*
*Quam non licebat eſcam:*
*(Immane) non merentes*
*Nexu ligant nepotes*
*Mortis: ſcelusq́, patrant,*
*Quod non lauaret æquor:*
*Nec victimæ expiarent*
*Quot terra nutrit vſquam.*
*Deus ille qui creauit*
*Et plauſtra, & aſtra, vaſto*
*Ac cuncta quæ videmus*
*In orbe homunciones,*
*Miſeratus hanc ruinam,*
*Demittit e nitente*
*Aethra Angelum beatam*
*Ad Virginem Mariam:*
*Quam legit inter omneis*
*Sanctiſſimas puellas,*
*Quæ ſponſa, nata, mater*
*Sui parentis eſſet.*
*Qui miſſus eſt olympo,*
*Mandata fert ſuperni*
*Parentis, & nitore*
*Puro replet penates,*
*Atque inquiens, ſalutat.*
*O gratiæ ter amplæ*
*Maria plena, & omneis*
*Inter beata matres,*
*Sis ſalua ter, quaterq́,*
*Volente patre ſummo,*
*Rerum omnium poteſtas*
*Cui tradita eſt in alto,*
*Ac cuncta dat moueri,*
*Edes virum, Deumq́*
*Qui ſeculis tot ante*
*Promiſſus a Sibyllis,*

*Et vatibus ſuperbo*
*In Dauidis ſedebit*
*Throno, regetq́; mundum,*
*Aequalis æuo, & annis*
*Potentiaq́; patri.*
*Sed quid tremiſcis? o ſis*
*Fortis, metuq́; parce,*
*Manebis ipſa vt ante*
*Intacta virgo: Sancto*
*Nam Spiritu repleta,*
*Natum dolore nullo*
*Edes, erisq́; mater*
*Tui parentis: vnus*
*Qui rite patris iram*
*Placabit, & tenebris,*
*Sæuoq́; dente Ditis*
*Quum liberabit vrbeis,*
*Mortaliumq́; gentes,*
*Suo abluens cruore*
*Peccata fęda mundi:*
*Ad celſa ſcandet aſtra,*
*Et hic patris ſupremi*
*In cuncta ſecla, & annos*
*Ad dexteram ſedebit*
*Rubore tincta vultum*
*Pudica virgo, ſubdit.*
*O rex, paterq́; Diuûm*
*Ancilla ſum, libenter*
*Quod imperas, faceſſam.*

**In diem natalem Chriſti Dei, & Domini noſtri.**

*In otio profundo*
*Quum totus eſſet orbis,*
*Nec milites ad arma,*
*Et bella Mars vocaret,*
*Ferretq́; nauta merces*
*Pacata per profundi,*
*Araret & colonus*
*Paterna rura bobus,*

*Belli metu fugato.*
*Auguſtus ille Cæſar,*
*Summus monarcha rerum,*
*Tantæq; pacis author,*
*Iani fores Quirini*
*De more clauſit: horror*
*Cum bellico tumultu*
*Conſtrictus eſt ahenis*
*Nodis: tulitq; legem.*
*Vt quiſque, ſiue diues,*
*Seu pauper eſſet, abſque*
*Mora ederet, daretq;*
*Nomen ſuum, genusq;,*
*Modumq; vitæ, & artem.*
*Conſorte cum Maria*
*Statim ſenex Ioſeph*
*De Nazare viretis,*
*Ad priſca tecta Bethles*
*Contendit, & quietem*
*Sperans viæ, & labori,*
*Maiore ſe tumultu*
*Inuoluit, atque cura.*
*Nam nulla quum vacaret*
*Domus: locusq; nullus*
*Pateret hic, & illic:*
*Ducente patre ſummo,*
*Seceſſit inde in antrum*
*Haud hinc procul remotum.*
*Hic coniugi grabatum*
*Diſtendit, & ſopori*
*Feſſos relaxat artus.*
*Sed cuncta quum ſilerent*
*Obſeſſa noctis vmbris,*
*Deſcendit agmen alto*
*Cæleſtium, ſuperq;*
*Domuncula, canoro*
*Pæana cantat ore,*
*Impletq; cuncta luce.*
*Queîs mota virgo ſurgit,*

*Atque*

*Atque Angelos canentes*
*Cum gaudio intuetur:*
*Iunone nec vacata,*
*Quæ partui præſſet,*
*Fit mater abſque nullo*
*Dolore: (mira dictu)*
*Manens vt ante virgo*
*Illæſa, bos aſellus*
*Puerum fatentur eſſe*
*Deum, ſuumq́; regem,*
*Genuq́; flexo adorant:*
*Orisq́; flatu vterque*
*Iacente de puello*
*Vim frigoris repellit.*
*Spelunca plena dumis,*
*Et bobus apta tantum,*
*Cęleſtibus repletur*
*Choris: Deoq́; alumno*
*Sublimis, æquat aulas*
*Regum potentiorum.*
*O ruſticos beatos*
*Queîs miſſa vox ab aſtris,*
*Deo polis in altis*
*Sit gloria: & reuiſat*
*Pax alma in orbe gentes,*
*Eſt recta queîs voluntas.*
*Quin Angelus colonos*
*Supra modum pauentes*
*Per arua luce viſa,*
*Solatur ore miti.*
*Virtute macti, abite*
*Pulſo metu ad cauernam,*
*Vbi ortus abſque labe*
*Seruator ille Chriſtus,*
*Ex virgine eſt Maria.*
*Qui patre cum perenni*
*Perennis aſtra torquet,*
*Deusq́; trinus vnus*
*Totum gubernat orbem.*

*Hinc*

*Hinc ergo abite, nunquam*
*Vos certa ſigna fallent.*
*Præſepe dat puello*
*Cunas, ſenex verendus*
*Cum matre iunctus aſtat;*
*Hinc bos, & hinc aſellus*
*Ipſum halitu fouere*
*Gaudent, pieq́ adorant.*
*Hæc Angelus locutus,*
*Cælum petiuit. Illi*
*Procul metu remoto,*
*Monſtrata tecta iuſſi*
*Curſu petunt citato:*
*Feruntq́ dona: oliuas,*
*Et caſeos recentes,*
*Vuas, fauoſq́ mellis,*
*Viamq́ quum vorarunt*
*Nullo labore, natum*
*Puellulum beata*
*Videre cum parente,*
*Et ſupplices adorant;*
*Vnaq́ voce cuncti*
*Deum fatentur eſſe,*
*Regemq́, honore dignum*
*Mortalibus negato.*
*Inſtare tum cicutas*
*Cępere, & ore dulces*
*Iactare more priſco*
*Ad aſtra cantiones.*
*Dixere deinde Chriſto*
*Vale vltimum, Mariæ,*
*Seniq́: & inde lęti*
*Ad villulam reuertunt,*
*Suiſq́ cuncta narrant,*
*Quę cum ſtupore multo*
*Videre nocte in antro.*

Circumciſio.

*Virgo candidior niue,*
*Amicta ſtellis tempora,*

*Soliſq; luce purior,*
*Aræ fer puerum tuum.*
*Iam cultrum, & pateram parat*
*Caſtus ſacerdos, legifer*
*Vt ipſe Moſes imperat,*
*Quod non efficere eſt nefas.*
*Iam præputia ſcindere,*
*Illiq; nomen indere*
*In æde ſacra conuenit:*
*Vt cuncti Iſacidæ ſolent.*
*Quamuis ſit genitus patre,*
*Qui cuncta nutu temperat*
*In terra, in aſtris, in mari,*
*Et patri ſit ſimilis puer*
*Aeuo, viribus, indole,*
*Sed quando factus eſt homo*
*Virtute ſancti Spiritus,*
*Virgo ex viſceribus tuis,*
*Fas quæ ſunt hominum, ferat.*
*Deflebit ictus cuſpide,*
*Sed fletus hic erit breuis:*
*Suget rurſus & vbera.*
*Anni principio noui*
*Lux it diei clarior,*
*Orbiſq; terræ geſtiunt,*
*Et Soles melius nitent:*
*O ſanctiſſima Virginum*
*Maria, quæſo filium*
*Dum flamen implet munia,*
*Auferri patere e ſinu.*
*Cernis quot patimur probra?*
*Regnator Orci Iupiter,*
*Humana corda perpetim*
*Vexat mille vafer modis.*
*Nos contagia debiles*
*Reddunt Adami, & coniugis*
*Euæ, nec hoſteis vincere*
*Bello poſſumus impares.*
*Sed Chriſtus populi ſalus,*

*Culpam cruore diluens*
*Patrum priorum, poſteros*
*Tantis eripiet malis.*
*Nam victo Sathana, & fera*
*Morte : in beatis ædibus*
*Aeuo fruemur perpete*
*Vitæ participes bonæ,*
*Et puri ſceleris viri.*
*Hæc nos manebunt præmia:*
*Pijsq́, Chriſtus gentibus*
*Aetrnam requiem dabit.*

## Tres Perſarum Magi.

*Quum Reges Arabum, Deum*
*Nouere ab orto ſydere*
*Splendente Sole purius*
*Natum Bethlemico in ſpecu,*
*Se dant protinus ad viam,*
*Stipante turba plurima*
*Sequentium ſatellitum,*
*Et magna Procerum manu:*
*Vt par regibus inclytis,*
*Altoq́, claris ſtemmate:*
*Lętiq́, ſtella præuia,*
*Contendunt dromadarijs*
*Ad ſacras Solymæ domos.*
*Hic de puello principe*
*Quærunt, ſed ignis abditur*
*Qui illis dux fuerat viæ:*
*Docti clarius indicant*
*Hoc auſpices, & augures:*
*Magi triumphant gaudio,*
*Aulamq́, haud mora, regiam*
*Linquunt perfidi, & impij*
*Herodis: & recta petunt*
*Bethlęa tecta, & igneum*
*Rurſus conſpiciunt iubar.*
*Quum ventum tuguri ad fores,*
*Repente flamma ſubſtitit*

*Super recuruo fornice,*
*Sub quo natus erat Deus.*
*Extemplo ſubeunt caſam,*
*Videntq́, cum puerpera,*
*Quem quæritabant Principem,*
*Inter quadrupedes duos:*
*A queîs non procul aſſidet*
*Senex Ioſeph: munera*
*Sunt myrrha, thus, & fulgidum*
*Aurum, quæ puero in manum*
*Præbent poplite ſupplici,*
*Illumq́, adorant: cœlitus*
*Sed nocte docti, ne feri*
*Regis ſceptra reuiſerent,*
*Chriſtum perdere qui dolo*
*Parabat ignarus Dei,*
*Mox calle quiſque deuio*
*In ſedes redeunt ſuas.*

Infantes ab Herode occiſi.

*At o creator omnium rerum Deus,*
*Cœliq́, rector, & ſoli,*
*Quid iſte fert tumultus? aut quæ milites*
*Erinnys armat in gregem*
*Infantium? Gradiuus arma concitat*
*In pace ſumma, & otio:*
*Non hoſtis vrbem cingit, aut predas agit,*
*Vicina vaſtans prædia:*
*Iuſſu ſatelles impij regis furit,*
*Impletq́, Bethlen ſanguine,*
*O per ſupernum cuncta qui videt Deum,*
*Ab ætheris cacumine,*
*Deſiſte cœptis talibus: manum moue*
*A re profana, & barbara:*
*Tyranne ſæuis anguibus nocentior,*
*Vrſaq́, fœta immanior,*
*Quid vt leæna ſauciata cuſpide,*
*Toruo intueris lumine*
*Pubem innocentem? quid miſer patras ſcelus*
*Nulla expiandum victimal*

*Eſt*

*Eſt natus infans, qui ſedebit in throno*
*(Vates vt aiunt) Dauidis:*
*Iam ſydus ortum extrema ab vſque Perſide*
*Treis duxit huc reges Magos:*
*Illiq́ magna pertulere munera:*
*Palamq́ regem dictitant.*
*Caput tiara cinctus, & ſceptrum manu*
*Herode viuo, & ſoſpite,*
*Tenebit infans? iura dicet gentibus*
*In oppidis Iudaicis?*
*Eiectus ipſe regno, & exul, imperi*
*Priuatus omni gloria,*
*De plebe vt vnus metiar pedes viam?*
*Abiectus, & nihil potens?*
*Hoc abſit omen. per Deos mallem mori,*
*Quam tale fatum perpeti.*
*Tollatur infans: liberet regem metu:*
*Et noſtra ſceptra floreant.*
*Sed quando quis ſit ille non noui puer,*
*Nec quos penates incolat.*
*Cędantur omnes: ille fortunæ paris*
*Hunc ſortiatur exitum*
*Cum cęteris infantibus. quid attinet*
*Regem pauere? quum queat*
*Ab imminente ſe periclo liberans,*
*Metuq́ tanti turbinis,*
*Inter clienteis, intra & vrbis mœnia*
*Feliciter conuiuere?*
*Cędantur omnes: quos biennes nouerint*
*In vrbe Bethles editos:*
*Vrbsq́ ipſa fuſo tota inundet ſanguine,*
*Quæuisq́ mater lugeat*
*Suos puellos, immerentes ædibus*
*In patrijs letho datos.*
*Hæc dicta miles audiens, ferrum rapit,*
*Petitq́ recto tramite*
*Bethlęa tecta: hic innocentes liberos*
*Occidit in matris ſinu:*
*Illidit ille muro: at ille faucibus*

 *Preſſ.s,*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

*Preſſis, vt angues ſtrangulat:*
*Pars enſe maior vulnerata concidens,*
*Cruore fędat atrium.*
*Nil verba matrum, nil patrum iuuant preces:*
*Parcit ſatelles nemini.*
*Sic vrbe capta ſæuit hoſtis in mares,*
*Et fœminas ferocior:*
*Leoq́; tauros prata per virentia*
*Diſcerpit ore, & vnguibus.*
*Vt vt libet Tyranne cęde paruulos;*
*Non attamen cędes Deum:*
*Euadet ille ad arua, quæ Nilus rigat*
*Septemfluis meatibus.*
*Reuerſus inde, cęſa ad aras victima*
*Seruabit humanum genus*
*A Ditis vmbris: & beatis gentibus*
*Cœli recludet ianuam.*
*At tu peribis cum tuo magno malo,*
*Ibisq́; recta ad Inferos:*
*Quæ regna tantum ſunt Deorum Manium,*
*Luciſq́; Solis indiga:*
*Hic in Gehenna cum ſodalibus tuis,*
*Et militum cohortibus,*
*Torqueberis Plutonis a lictoribus*
*In ſeculorum ſecula.*

In diem, qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus eſt mortem paſſus.

*Hæc eſt dies, Ieſu*
*Qua gentium redemptor*
*Es pro ſalute noſtra,*
*Paſſus graues dolores,*
*Cruciſq́; ligna portas,*
*Vbi manus, pedeſq́;*
*Confixus, eleuaris*
*Inter duos latrones:*
*Mortemq́; morte vincens,*
*Nobis habere donas*
*Aeterna dona vitæ.*
*Nam Tartari e profundi*

*Nos*

*Nos eripis tenebris,*
*Cæliq́ tecta pandens,*
*Nos impium, malumq́*
*Euæ genus reponis*
*In ſedibus beatis.*
*Pietas ſtupenda, magnus*
*Tu rex, paterq́, Diuûm,*
*Vis vilis eſſe ſeruus,*
*Viçemq́ ferre noſtram,*
*Et pro ſalute tandem*
*Hominum mori libenter.*
*Dum mente tanta mecum*
*Iſthæc voluto: tecum*
*Et tollere, & ſubire*
*Crucem peropto, teq́,*
*Per vulnera, & dolores*
*Dominum ſequi, Deumq́.*
*Sine te poteſt olympi*
*Intrare nemo ad arcem:*
*Sine te maneret omneis*
*Aeterna pœna mortis,*
*Locusq́ morte peior.*
*Ergo benigne Ieſu,*
*Si te requiro ſolum,*
*Tuumq́ adoro numen*
*Supplex in æde ſacra,*
*Per ſpineam coronam,*
*Plagasq́ quas tuliſti,*
*Iſthac die profani*
*In atrio Pilati,*
*Per ſtipitem verendum*
*Crucis, tuamq́ mortem,*
*Dignare me miſellum*
*Tua domo, tuiq́*
*Regno patris ſupremi.*

Finis Primi Libri.

# IANI PELVSII
## *Crotoniatæ hymnorum Liber Secundus*

## AD CLEMENTEM VIII Pontific. Opt. Max.

Ad candidum Lectorem.

*AMICE Lector munere qui Deûm*
*In Vrbe ſueſti Pindaricum melos,*
*Horatianas & Camœnas*
*A tenero canere vngue, noſtras*
*Precor papyros perlege quo ſoles*
*Vultu ſereno. ſic tua Pontifex*
*Summus ſecundet cępta* CLEMENS,
*Teq́, oculo aſpiciens amico*
*Sublimiores euehat ad gradus,*
*Magnis ſacrorum non ſine præmijs.*
*Peluſij noſces labores,*
*Cum Lyricis modulis & hymnos,*
*Dum torret agros ſtella Caniculæ,*
*Capraſq́, paſtor cogit ad arbutos,*
*Quos fecit ora in Ciſpadana,*
*Præpropero calamo ſub vmbra.*
*Si non merentur Dauidis ad lyram*
*Quos vel Sacerdos, vel lyricen canat:*
*Fortaſſe vatibus placebunt*
*Oenotriæ, Dominæq́, Romæ.*
*Cantare vates quilibet eſt potis*
*Vel digna Phœbô, Palladis aut choro:*
*Cui Pindari dedit canorem*
*Calliope, aut numeros Maronis.*

# AD CLEMENTEM VIII. Pontificem Opt. Max.

*Si mi ſauerent Pierides nouem,*
*Quæ conſuerunt carmina vatibus*
*Dictare: Dirceo boatu*
*Aera per liquidum tonarem*
*Tuos honores Maxime Pontifex,*
*Tuasq; Laudes innumerabiles:*
*Conarer atque Sanctitatem*
*Perpetuis memorare chartis.*
*Id commeretur nam pietas tua,*
*Et ſumma rerum cognitio, & fides*
*Aſtræa quam ſoror triumphat*
*Iudicijs ſociare rectis.*
*Sed Muſa noſtri debilis ingeni*
*Apis Matinæ more legens ſuos*
*Vt aſſolet, faui liquores,*
*Repit humi Calabros per hortos:*
*Tantum nec audet dicere Principem,*
*Qui ſceptra Chriſti, rē gerit, & vicem,*
*Suoq; ſede in Vaticana*
*Arbitrio moderatur orbem.*
*Prece irremiſſa te reuerens rogat,*
*Verſu ſonantem partenue, & leue,*
*Vt alterum legas libellum,*
*Qui venit e patria Milonis.*
*Nos forſan olim præſidio tuo*
*Fulti, canemus Pindarica lyra*
*Maiora multo quam ſolemus,*
*Pontificum auxilio carentes.*

## Ad eundem.

*Antiquiorum Pontificum decus*
*Non abſque Chriſti numine Pontifex*
*CLEMENS, habenas vnus orbis*
*Qui imperio moderaris æquo,*

*Tibi*

*Tibi ſorores Pierides agunt*
*Grateis, quod æris prodigus, exules*
*.Inſanientes vt Gigantes*
*Eijcis Oenotrijs ab oris*
*Vſque ad nigrantis regna Proſerpinæ:*
*Vrbeisq; ſeruans innumerabiles*
*A ferro, & igne Barbarorum,*
*Eripis agricolas ab vngue,*
*Et fauce gentis tam temerariæ.*
*Quæ freta belli turbine, quæ tumens*
*Succeſſibus lętis, ſtruebat*
*Exitium populo Quirini.*
*Es dignus amplis laudibus, es nouis*
*Modis canendus cuncta per oppida,*
*Fulgore quæ luſtrat coruſcis*
*Vectus equis per innane Titan.*
*Pompeius olim ſic Cilicas feros*
*Magnus fugauit de ſupero mari:*
*Sic Spartaci Craſſus chelydros*
*Auſpicijs pepulit ſecundis.*
*Gens inquietis concita Erinnybus,*
*Magnum Latinis intulerat metum:*
*Sed cęſa (ſic volente Chriſto)*
*Ore ſolum tetigit cruento.*
*Quot vſſit vrbeis? quot gladio viros*
*Stricto innocenteis ſuſtulit? hoſpites,*
*Ciuesq; quot mulctauit ære,*
*Virginibus rapiens honores?*
*Quid non malorum pertulit Auſonis?*
*Quæ cędis expers patria? quis locus*
*Immunis inſanæ rapinæ?*
*Quæue Deûm caruere flammis*
*Aedes? minari ferrea vincula*
*Sciarra princeps perfidus anguium*
*Eſt auſus Vrbi, Chriſtianæ*
*Quæ baſis eſt fidei, decusq;:*
*Et noſter in qua non ſine gloria*
*CLEMENS Sacerdos Maximus Optimus*
*Dat æqua cunctis iura, crineis*

*Implicitus*

*Implicitus triplici corona.*
*Vitis repertor Bacche pater foras*
*Prodi beata cum Cerere e cauis*
*Truncis, ſequantur vos agreſtes*
*Quot pauidi latuere in antris,*
*Noſtros ocellis cernite liberis*
*Pagos: & agros reddite fertiles*
*Vt ante frugibus, necantes*
*Et lolium, & ſteriles auenas.*
*Tutus colonus rura perambulat,*
*Tutusq; ciuis degit in vrbibus,*
*Mira arte ſublata latronum*
*Illuuie, profugûmq; peſte.*
*Tutum & viator carpit iter ſuum,*
*Tutisq; merces abdit in oppidis.*
*Mercator omnis: nec capellæ*
*Inſidias metuunt luporum.*
*Hinc alma magnis iuncta Quiritibus*
*Te Roma tantis tollit honoribus,*
*Ripas nec extra fuſus agris*
*Dilluuiem Tiberis minatur.*
*Perge oro Princeps Maxime Principum*
*Gregem ſalubri paſcere gramine:*
*Sic namq; non horreſcet vrſos,*
*Nec colubros, rabidasq; tigres.*
*Et nos profeſtis lucibus, & ſacris,*
*Tuo feremus munera numini:*
*Longos & annos, & ſalutem*
*Perpetuam tibi comprecati,*
*Ad vſque olympi te aſtrigeras domos*
*Plectris vehemus dulce ſonantibus,*
*Te confitentes eſſe certum*
*Præſidium populi fidelis.*

## In die feſto Natalis Chriſti, Dei, & Domini noſtri.

*Procul hinc abite Muſæ*
*Vatum Deæ priorum,*
*Nihil eſt opus fauore*

*Veſtro*

*Veſtro mihi canenti.*
*Chriſtus Deus redemptor*
*Mortalium, piusq́;*
*Rex, & pater virorum,*
*Quod ordior, ſecundet,*
*Noſtrisq́; rebus adſit.*
*Auguſtus orbe toto*
*Potitus, vt monarcha*
*Mandauerat, quot eſſent*
*Gentes vbiq́;, nomen*
*Vt ederent, genusq́;.*
*Maria virgo & eius*
*Sponſus ſenex Ioſeph*
*Venere ob hoc ad vrbem*
*Bethlen: ſed ob cateruas*
*Tot ciuium, remotis*
*Quæ venerant ab oris*
*Domum diebus illis:*
*Quum nullus hic vacaret*
*Locus: domusq́; nulla*
*Caperet pios amantes:*
*Se contulere ad antrum*
*Huic oppido propinquum.*
*Atque hic pudica virgo*
*Furente vento, & anno,*
*Puerum dolore nullo*
*Peperit: repente cœlo*
*Demiſſa lux ab alto*
*Refulſit, & tenebris*
*Pulſis, domum repleuit*
*Splendore fulgurante.*
*Veneranda virgo natum*
*In fœneo cubili*
*Præſepij locauit.*
*Hinc bos, & hinc aſellus*
*Dominum Deum iacentem.*
*Lętantur intuentes,*
*Et ſupplices adorant.*
*Balantium magiſtri*

*Stupnere*

*Stupuere luce viſa:*
*Simul at nimis ſonoras*
*Senſere cantiones,*
*Quas Angeli canebant*
*Hunc ad modum per auras.*
*Sit gloria in alto olympo*
*Deo omnium ſatori:*
*Viriſq; pax ſit illis,*
*Quorum optima eſt voluntas*
*Spatioſo in orbe terræ,*
*Multo magis timebant.*
*Tunc vnus e cohorte*
*Cæleſtium profatur.*
*Nolite fidi agreſtes*
*Timere: namq; vobis*
*Annuncio peringens*
*Ego gaudium. ſub illa*
*Humili caſa, & puſilla*
*Hac nocte natus infans*
*Eſt ille, quem prophetæ*
*Sacro furore pleni,*
*Vobis tot ante ſeclis*
*Cecinere. Vos amici*
*Deo quibus volente,*
*Primum datur videre*
*Regem, Deumq;: greſſu*
*Ite hinc cito, & puellum*
*Veneramini: locutus*
*Hæc Angelus receſſit.*
*Illi nihil morati,*
*Viam ocyus vorarunt,*
*Puerumq; tecto in illo*
*Præ ſe nihil ferente*
*Mortale, quam figuram,*
*Mirantur obſtupentes.*
*Tacentibuſq; cunctis,*
*Sic ore fatur vnus*
*De ruſticis. Beata*
*O ter quaterq; virgo,*

*Hac*

*Hac nocte quæ tuliſti*
*Hominem, Deumq; nobis,*
*Diuina ſigna ſancti*
*Cognoſcimus decoris,*
*Fatemur eſſe verum*
*Regem, Deumq; noſtrum:*
*Nos millies beati*
*Etiam ſumus, videndi*
*Conceſſa queîs poteſtas*
*Eſt omnium parentem.*
*Sic fatus ille, regem*
*Supplex adorat: omnes*
*Imitantur hunc agreſtes,*
*Redeuntq; læti ad ædes*
*Suas, Deum canentes.*
*Orientis aſt ab oris*
*Stellam Magi ſecuti*
*Splendore fulgurantem,*
*Dona (vt decebat illos*
*Reges nimis potentes)*
*Cum thure myrrham, & aurum*
*Infantulo tulere:*
*Monitiq; nocte in atra,*
*Ne regiam redirent*
*Herodis ad tyranni,*
*Alia via paternas*
*Rediere læti ad oras.*
*Rex impius necari*
*Iubet illico immerentes*
*Infantulos: queruntur*
*Matres ſuos puellos*
*Rapi ad necem innocentes.*
*Monitus ſenex Ioſeph*
*De nocte per ſoporem*
*Ab Angelo, hinc abiret:*
*Infantulum tenellum*
*Genitrice cum Maria*
*Fugiens, cito ad fluenta*
*Nili tulit. Puellæ*

*Pueriq́; quot Crotonis*
*Piæ tulere matres,*
*Hunc candido lapillo*
*Feſtum diem notate,*
*Et laudibus viciſſim*
*Hunc aureum puellum*
*Ad aſtra ferte: namq́;*
*Peccata noſtra tollet:*
*Et nos beabit omneis.*

## In die feſto Epiphaniæ.

*Deus redemptor gentium,*
*Qui de beata Virgine,*
*Operante ſancto Spiritu*
*Es ortus, & viſibilis*
*Es factus hoc feſto die,*
*Tuos fideles ſeruulos*
*Qui te vocamus ſupplices*
*Ad cuncta noſtra incommoda,*
*Tuo tuere numine:*
*Audi preces fidelium,*
*Et vota ſupplicantium.*
*Quum tres periti ſyderum*
*Nouere reges optime*
*Ex fulgurante ſtellula,*
*Clarisq́; vatum vocibus,*
*Quas ante multo fuderant*
*Sancto repleti numine,*
*Quod eſſet infans editus,*
*Qui natus ante ſecula,*
*Cum patre, Sancto & Spiritu*
*Nutu creauit omnia,*
*Lares relinquunt patrios,*
*Septiq́; turba maxima*
*(Vt mos requirit regius)*
*Carpunt iter velociter,*
*Breuiq́; tuti ad oppida*
*Se conferunt Iudaica.*
*Hic de puello Principe*

*Nato*

*Nato requirunt: auſpices,*
*Scribæq; docti plenius*
*Quod expeteſſunt, indicant.*
*Magi triumphant gaudio,*
*Petuntq; recto tramite*
*Bethlen: videntq; vt antea*
*Lumen coruſci ſyderis,*
*Quod tecta Chriſti prodidit:*
*Nam conſtitit (mirabile*
*Viſu) ſuper cubiculo:*
*Sub quo latebat inclytus*
*Chriſtus creator omnium.*
*Intrant Magi cauernulam,*
*Cernuntq; cum puerpera*
*Sancta puellum regium.*
*Curuato vtroque poplite*
*Mox procidunt, & ſupplices*
*De more adorant paruulum,*
*Illumq; donant munere*
*Suo ſeorſum quilibet.*
*Et per quietem ab Angelo*
*Docti, nefandi, & perfidi*
*Ne regiam reuiſerent*
*Herodis amplius: mala–*
*Qui fraude Chriſtum perdere*
*Parauerat. ſunt altera*
*Via reuerſi ad patriam.*
*Inſtructus ipſe cœlitus*
*Nutritius, contenderet*
*Ad arua Nili: paruulo*
*Sumpto, & beata virgine,*
*Huc protinus ſe contulit.*
*Pueri & puellæ candidæ*
*Meæ Crotonis, debita*
*De mane quæſo, & veſperi,*
*Ad aſtra laude tollite*
*Diem hunc: benignus agnitus*
*Quo Chiſtus eſt a regibus,*
*Tingensq; corpus flumine*

*Iordane,*

*Iordane, noſtra vulnera*
*Lauit: parentis amputans*
*Primi ſcelus nefarium:*
*Aquamq́, vertit in merum*
*In nuptijs, ſtupentibus*
*Quot intueri contigit*
*Mirabile hoc ſpectaculum.*

Ad perilluſt. Io. Andream Peluſium ſui fratris filium, & Iuriſconſultum egregium.

In mortem Chriſti Dei, & Domini noſtri.

*Matres viriq́, flete,*
*Nullusq́, ſit dolendi*
*Finis, modusq́, vobis*
*Si corde quid ſub imo*
*Pietatis eſt relictum.*
*Nam pro ſalute noſtra*
*Moritur Deus. profani*
*Abrahamidæ ſceleſto*
*Prodente Iuda in horto*
*Illum oſculo, catenis*
*Ligantq́, vinciuntq́,*
*Thrauntq́, vinctum ad Annam,*
*Caiphamq́, morte dignum*
*Vno ore, voce & vna*
*Hebrea turba clamat.*
*Ad Præſidem Pilatum*
*Hinc deferunt: at ille*
*Flagris fere peremptum*
*Iubet impius necari,*
*Cruciq́, figi vt exlex,*
*Latroq́, fraudulentus.*
*Cohors proterua, Chriſtus*
*Quum ferre non valeret*
*Crucem labore feſſus:*
*Cyrene in vrbe natum*

*Cogit Simona ferre,*
*Ad vſque deſtinatum*
*Cędis locum futuræ .*
*Petrus parum decore*
*Suum negat magiſtrum :*
*Fugiuntq́; chari alumni*
*Illuc , & huc per agros*
*Perterriti timore .*
*Ibas benigne Ieſu*
*Tunc ad necem , tenellus*
*Vt agnus ad ſecurim ;*
*Fit obuiam verenda*
*Veronica, & cruore*
*Faciem videns madere ,*
*Tergit : tuiq́; imago*
*Velo relicta manſit.*
*Montis iugum vt ſubiſti,*
*Tua membra veſte nudat*
*Lictor, manus & ambas*
*Figit , pedesq́; clauis.*
*Tandem cruci tremendæ*
*Infixus, eleuaris*
*Inter duos latrones.*
*Tuum corrona ſacrum*
*Spinis caput cruentat;*
*Inſultat hinc ſatelles :*
*Hinc ſæua turba ridens*
*Ait. Scelestus iſte*
*Dum ſe patris ſuperni*
*Natum aſſerit, facitq́;*
*Regem boni Iſraëlis,*
*Seruauit hos, & illos,*
*Seruare ſe nequiuit.*
*Si natus eſt vt infit ,*
*Ex maximo parente,*
*Deo omnium ſatore,*
*Nunc ſtipite hoc ab alto*
*Deſcendat, & repente*
*Iudæa credet illi.*

*Gemebunda*

*Gemebunda mater aſtat*
*Hic ad crucem, rogatq́;*
*Viros feros, trucesq́;,*
*Pro filio parentem*
*Figant cruci. aſt Ieſus*
*Illam intuens, Ioanni*
*Commendat: & liquorem*
*Sitiens aquæ petiuit.*
*Crudelis, & nefanda*
*Gens illico acre acetum,*
*Illiq́; fel bibendum*
*Affert: quod ille guſtans,*
*Potare mox recuſat.*
*Miles rapax, feroxq́;*
*Partitus eſt amictus,*
*Sortitus ante veſtem,*
*Miro decoro, & arte*
*Pia a parente textam.*
*Perfecta cuncta poſtquam*
*Cognouit eſſe patris*
*Mandata: voce magna*
*Clamans, repente vitam*
*Fudit: fragore ſummo*
*Sonuere ſaxa: Titan*
*Eſt verſus in tenebras,*
*Noctem ferens diei.*
*Tellus tremit: reſurgunt,*
*Videntq́; rurſus auras*
*Has mortui: profana*
*Hebrea turba Chriſtum*
*Verum fatetur eſſe*
*Deum, Deiq́; natum.*
*Nepos perite iuris,*
*Virûmq́; candidorum*
*Studioſe, ſi vt parentem*
*Me diligis, colisq́;:*
*Mecum dolenter vna*
*Venerare ſacra in æde*
*Crucis arborem, coronam:*

 *Haſtam,*

*Haſtam, flagella, clauos*
*Chriſti cruore tinctos.*
*Peccata namq; noſtra*
*Fuere cauſa mortis*
*Eius: rogemus vſque*
*Nos ſoſpitet: ſuoq;*
*Præſens tegat fauore.*

## In Flandrohęreticos.

*Aeterne Chriſte cuncta qui e cœlo vides,*
*Et cuncta quæ ſunt, temperas:*
*Suo furori Belga laxat lintea,*
*Turpata ſulcans æquora*
*Errore fœdo: quem Lutherus impius*
*Seuit per vrbeis Belgicas:*
*Nil iuſſa curat, quæ Vicarius tuus,*
*Noſterq; Summus Pontifex*
*Dat Chriſtianis gentibus: cęde omnia*
*Auget, replet: Epiſcopos*
*Et monachos, & virgines ſanctiſſimas*
*Mactat, trucidat, enecat:*
*Nefanda cuncta excogitat: ſęuiſſime*
*Excogitata perficit:*
*Aedes Deorum fundo ab imo diruit:*
*Araſq; ſacras deijcit:*
*Exurge fortis, funditus propaginem*
*Iſthanc profanam demete:*
*Vt noſcat hoſtis, eſſe te ſolum Deum,*
*Qui iura das mortalibus:*
*Ac vim paueſcant impij: tuum pij*
*Ad aſtra nomen euehant.*
*Canent fideles te bonis placabilem:*
*Maliſq; formidabilem:*
*Tuos amicos qui eripis moleſtijs:*
*Et clade iniquos obruis.*

## Ad Deum Omnipotenrem.

*Deus creator omnium rerum precor,*
*Tuum tuere ſeruulum:*

Ne

*Ne mecha turpis, aut adulter impudens*
*Perdat dolo, & mendacijs:*
*Ad te recurrit ceruus vt ſiti furens,*
*Ad dulcis vndæ riuulos:*
*E tot periclis libera miſerrimum,*
*Illumq́, mitis reſpice:*
*Per alta ſolus Alpium cacumina,*
*Inhoſpitalem & Caucaſum,*
*Ibit bacillo numinis nixus tui,*
*Nullum timens periculum.*
*Deſcende cælo ſumme rector Cælitum,*
*Dextramq́, da: laudes tuas*
*In æde dicet mane ſiccus: vuidus*
*Cantabit hymnos veſperi.*

## In die feſto aſcenſus Chriſti, Dei, & Domini noſtri.

*Poſtquam redemptor gentium ſurrexerat*
*A mortuis, denos quater*
*Soles peregit cum ſodalibus ſuis,*
*Et cum beata Virgine,*
*Omneis coëgit montis ad cacumina*
*Glaucis oliuis conſita.*
*Indutus alba dein Ieſus ſyndone,*
*Conueſcitur cum cęteris:*
*Vbi eſt remota menſa: dixit clarius:*
*Audite fratres optimi.*
*Satis ſuperq́, ſum moratus in ſolo,*
*Magiſter & veſter fui:*
*Meus creator omnium rerum pater*
*Quæ Sole ſunt ſub igneo,*
*Iubet reuertar ad paternam regiam,*
*Domosq́, Olympi fulgidas,*
*Pacem meam relinquo vobis omnibus,*
*Meamq́, vobis ſpondeo*
*Dextram daturum ſemper in periculis,*
*Opemq́, rebus arduis:*
*Legis nouæ per orbis omneis angulos*
*Vulgate ſancta dogmata;*

*Docete*

*Docete cunctos : iſta qui ſuſceperit,*
*Luſtratus ante flumine*
*Baptiſmatis, fruetur æuo Cælitum*
*In ſempiterna ſecula :*
*A languidis fugabit ægritudines,*
*Maloſq; pellet Dęmonas:*
*Venena ſi potarit : inde ſentiet*
*Nihil mali : faciliime*
*Linguis loquetur omnium mortalium,*
*Et verba eorum intelliget.*
*Sed hac ab vrbe nemo diſcedat, prius*
*Quam ſanctus ad vos Spiritus*
*Deſcendat: hæc locutus: intuentibus*
*Illis, polorum culmina*
*Scandit: meantem ſic ad aſtra Apoſtoli*
*Fixo intuentur lumine,*
*Stupent, manentq; nixi vtroque poplite,*
*Sanctiſq; poſcunt vocibus.*
*Patres vetuſtos liberos caligine,*
*Atque Inferorum carceres,*
*Secum ferebat arduum per æthera,*
*Vitæ ad perennis gaudia.*
*Poſtquam tribunal venit ad celſiſſimum,*
*Sedit patriſq; ad dexteram :*
*Turbata cernens pectora hinc ſodalium,*
*Demittit Angelos duos,*
*Qui veſte amicti candida, ſic inquiunt.*
*Quid hic magiſtrum lacrymis*
*Veſtrum vocatis intuentes ſydera?*
*Paterna regna poſſidet.*
*Cæleſte nunc vt iuit ad faſtigium,*
*Sic huc reuertet denuo.*
*Non ora mille, mille linguæ ferreæ*
*Narrare poſſent gaudia,*
*Quæ tunc poli dedere : quum rex inclytus*
*Sedes reuiſit patrias.*
*Quot ſunt cohortes Cælitum, quotq; agmina,*
*Illi fuerunt obuiam.*
*Duxit triumphum de ſubacto Tartaro*

*Victiſq;*

*Victiſq́ de rebellibus:*
*Fundere cantus Angeli dulciſſimos:*
*Fuitq́ plauſus maximus:*
*Vix hæc locuti ſunt pares iuuenculi,*
*Magnum volant per aera.*
*Spes ſola Chriſte gentium fidelium,*
*Nos adiuua, nos ſuſpita,*
*Tuo queamus adiuuante numine,*
*Ad tecta cœli ſcandere:*
*Et te videre glorioſum Principem*
*Cum patre Sancto & Spiritu.*

## Ad Marium Altimarum Neapolitanum.

*Scire cupis, Romæ ceu viuam dulcis amice,*
*Paucis edo: vaco nocte dieq́ ſophis:*
*Et quãdo* CLEMENS *rerum moderatur habenas,*
*Atque tenet Chriſti ſceptra verenda manu.*
*Eſſe aliquid ſpero tantõ ſub Principe: doctos*
*Munificus tantum qui auget honore viros:*
*Inſcitiamq́ fugans ſacris ex ædibus: æquo*
*Reſpectat miſeras lumine Pieridas.*
*Quod ſi contigerit, reddam pro munere grateis,*
*Atque illum ut uerum numen in vrbe colam.*

## Ad Deiparam Virginem.

*Virgo ſalus terræ, cœli nitidiſſima lampas,*
*Stella maris, terror Tartarei barathri,*
*Non ego poſco mihi Crœſiq́, Midæq́ talenta,*
*Nec mihi delicias quæro Syracuſias:*
*Iſta petant alij: quibus inſatiabilis auri*
*Eſt ſitis; & carpunt gaudia falſa Soli:*
*Cum ſano ſanam cupio mihi corpore mentem,*
*Nec ſine Apollinea degere in Vrbe lyra;*
*Et quidquid facio, placeat tibi candida Virgo,*
*Nec lædat nati numina ſancta tui.*

## Ad Romam.

*Põtifice es felix* CLEMENTE *et proſpera Roma,*
*Namq́ ſalutifero gramine paſcit oues:*

*Atque Petri cymbam vigilanti ſemper ocello*
*Seruat & a pelago, ſeruat& a Borea:*
*Virtutumq; vnus cumulum complectitur omnem,*
*Legitimus ſedis rector Apoſtolicæ.*
*Pontifices illi cedant, Eccleſia mater*
*Quot tulit, & poſthac terra Latina feret:*
*Inſcitiam procul Vrbe fugans, dat magna laboris*
*Præmia iuſtificis, doctiloquisq; viris:*
*Et ne multa canam, et paucis mea carmina claudã:*
*Plusq̃ illi humanum eſt ingenium, et Genius.*

## De felicitate Romæ.

*Romani imperij Roma eſt veriſſima ſedes,*
*Heroum, & regum tot generoſa parens:*
*A Duce ſyderibus quondam fundata ſecundis,*
*Marte grauis Latio quem pia virgo dedit.*
*Imperij faſces donec rexere Quirites:*
*Et Domina, & Princeps totius orbis erat;*
*Nunc pro ſemideis Ducibus, pro Regibus, effert*
*Summos Pontifices, Purpureosq; Patres.*
*Ergo regnat adhuc, omni regnabit & æuo*
*Relligione ſacra, Catholicaq; fide.*
*Namq; velint, nolint, Reges data iuſſa capeſſunt*
*Summi Pontificis, quem bona Roma parit.*

# Finis Secundi Libri.

Pag. 16.. pro *vacata*, lege *vocata*,